

IESU CHRISTE,

*Viro Religiosissimo Domino IOHANNI DOCEMIO
amico ac fratri suo in Christo.*

ARuit modo messis terræ, quare timete DEVM, & date ei gloriam, quoniam venit hora iudicii eius; verū terribile corpori peccato, inquinato, & instar tonitru tremendissimi, peccatoribus horrendum est verbum Iehouæ, quippe splendoris ac lucis æternæ est, corpus vero tale ex parte tenebrarum: At homini spiritualizato, luce increata, ornate, valde dulce est mite & admirabili iucunditate repletum, omne n. simile simili gaudet & lætatur, nil itaq; moror malignorum iudicium, sit temerarium, hypocriticum, suspicax, vt vt velit. Sed hæc tibi mi Docemi dulcissima animulæ meæ portio, transmitto, nec qualiacunque, vereantur iudicium dexteritatis tuæ, si tuo examine probata, digna sint, quæ offerri Illustri ac Generosissimo Comiti vestro, vt etiam vere Illustri imo Diuæ ac Religiosissimæ Comitissæ possint, habebunt & patronos in splendida Pyromontana sede. Parco calamo, neque plura addam, nisi quod mentis irreligiøsæ fuisset, hæc taciturnitate celare, & non multorum conscientia publicare, præsertim in his tumultibus bellicis. Hisce vale ac nexum amoris erga te mei decies amplius fortiusq; complicabis.

Dabam Hamburgi è Musæo meo in ædibus Domini
Petri à Sprekelsen, Anno recuperatæ sa-

lutis 1620.

I. C. C. H.

A 2

AD